



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 143. Sabaudiaë Dux de Synodo conquestus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.
A. C. 1435.

§. CXLIII.

Sabaudicæ Dux de Synodo conquestus

Die prima Maji ejusdem anni Amadæus Sabaudicæ Dux ex Ripaliensis episcopi sui suæ latebris Epistolam ad Synodum perscripsit, in qua non tanquam Eremicola, sed ut Princeps supremus, atque ut accerrimus injuriarum vindex in querelas contra Basileenses erupit, eo quod Lausanensem Episcopatum Ludovico de Palude adjudicassent, neglecto Joanne Pereingino, pro quo tamen, hæc Ecclesia ei conferretur, justitia meritorum suffragia pugnarent, pro quo Dux sibi videri inquiebat. Præterea probabat Synodo, quod ejus Ministri Procuratorem, qui Ducis sui nomine Synodali judicium sententia ad Eugenium Papam appellasset, adeo fuissent infecti, ut ille ægre admodum eorum convicia, carceremque, cui eum tradere minitati fuissent, effugisset. Basileenses Amadæi indignationem mitigaturi, die decima sexta Septembris in quadam Congregatione statuerunt, ut Dux datis literis certior fieret, paratum esse Concilium tam ei, quam aliis quibuscunque, qui de gestis Patrum conquererentur, justitiam administrare. Sicque unda tempestive

affusa recentes incendii flammam extinxit (*).

Sæcul. XV.

A. C. 1435.

§. CXLIV.

Græci hinc ab Eugenio, illinc a Concilio sollicitati.

Nihil interea in promovendo cum Græcis unionis negotio intermissum est. Postquam enim horum Oratores apud Synodi Patres commissio sibi officio defuncti erant, ut supra meminimus, Eugenius ad accelerandam eorum unionem Christophorum Garetonum, quem ab Epistolis habuit, Constantinopolim misit. Verum is non sine magna admiratione comperit, quod Græci mutata animi sententia Synodum Constantinopoli celebrari toto studio contenderent; cum id tamen promissis mutuo initis adversaretur. Igitur Garetonus totam rei seriem ad Synodum perscribit. Nonnulli hanc animi mutabilitatem non tam a spontaneo Græcorum impulsu, quam Pontificis hortatu ortam suspicabantur; cum enim Basileenses tam amplam sibi auctoritatem arrogarent, id ægerrime ferebat Eugenius. Nihilominus Synodi Patres rem edocti

(*) Spondanus ad hunc annum num. 16. subjungit: *Satius fuisset, non inconsulte agere, quam objecta excusare.*